

vitæ mistæ, cum illius participatio aliqua contemplativo necessaria sit, ne tanta perfectione omnino careat. Ubi etiam intelligere licet, cum mens contemplantis descendit ad compassionem proximi, et ad orandum pro illo, non cadere ab optima via exercendi vel perficiendi charitatem, quia in eo non recedit a perfecta charitate Dei, sed illam quodammodo amplificat et extendit; ita ergo qui ad actionem ex eodem motivo descendit, nihil per se impeditur a perfectione charitatis, sed potius in ea promovetur. Unde secundo dicitur, optimum esse auxilium orationis, sed non sufficiens; necessarium est enim orationi opus adungere, quia Deus decrevit non per se solum tantum, sed per homines salutem hominum operari, et ideo necesse est non solum oratores, sed etiam cooperatores Dei fieri in salute animarum, et hoc (cæteris paribus) perfectius est, quia Deo similis, et quia priorem modum auxiliandi per orationem non excludit. Unde Carthus. supra monet solitarios, non solum ut orent pro aliis, sed etiam ut ad se venientes prudenter et fervide ad Dei obsequium exhortentur. Et Richardus ibidem subdit, modum illum juvandi proximos per solas orationes esse imperfectorum, *quos exterior occupatio cito immutat et dejicit*; significans, a perfectioribus viris majus auxilium postulari.

28. *Ad defectum humanæ fragilitatis respondetur.* — Ad alteram partem primum dicitur cum D. Thoma, opusc. 49, cap. 27, hic non considerari personarum imperfectionem, sed naturam et perfectionem status, cui particularium personarum imperfectio nocere non potest. Deinde dicitur, si hæc non speculative, sed practice ac moraliter considerentur, necessarium esse homini internum otium externa aliqua actione interrumpere, et ideo optimum esse vitæ genus, in quo utrique parti optimum otii, et negotii, seu actionis genus consignat; primo quidem ac per se propter majorem charitatis perfectionem procurans; secundario vero etiam in illa varietate infirmitati hominum prospiciens. Si ergo particulares personæ cum hac moderatione utrumque intendunt, nihil a perfectione deflectent; si autem plus nimio actioni se tribuant ob tædium contemplationis, imperfectioni eorum, non ipsius status tribuendum id est.

29. Hæc sunt quæ in comparatione hac præsentis capituli in favorem utriusque partis afferri posse videntur; in quibus sine dubio graviora, et majoris ponderis sunt, quæ hanc posteriorem partem a n. 8 hucusque persua-

dent. Ut autem quod suum est unicuique parti tribuam, assero imprimis, ex suo genere securiorem esse contemplativam religionem, ab externis actionibus erga proximos, et ab eorum consortio et conversatione separatam. Hoc probant rationes in favorem prioris sententiæ a num. 2 adductæ. Favet etiam usus Pontificum, permittentium transitum ab aliis religionibus etiam mistis, et in eo gradu quantumcumque perfectis, ad ordinem Carthusiensem, qui pure contemplativus est; fundari enim videntur saltem in majori securitate illius status, quamvis multi existiment etiam esse fundatos in majori perfectione vel arctitudine, quos infra lib. 2, c. 4, referemus, tractando de illo ordine in particulari; nunc enim necessarium non est. Tandem explicatur, quia in eo statu, ex vi ipsius minores sunt occasiones peccandi, quæ magna ex parte oriuntur ex communicatione cum hominibus. Unde ex hoc capite etiam est aptior ad crescendum in charitate et perfectione, quia magis separata est ab exterioribus curis, majusque habet otium ad vacandum Deo, unde minores habet etiam occasiones distractionis per sermonem, per sensus, et alia phantasmata.

30. Nihilominus assero secundo, religionem mistam, quæ cum contemplatione intendit actionem circa spiritualem salutem proximorum, ex suo genere meliorem et perfectiorem esse. Hoc probant efficaciter fundamenta secundæ sententiæ, a num. 8 posita, et declaratur in hunc modum: quia in hoc statu sunt plures occasiones exercendi simul cum charitate plures et excellentiores virtutes; est etiam commoditas consequendi majorem Dei cognitionem, et exercendi altiori modo charitatem ejus; sunt etiam plures occasiones sustinendi labores, vel patiendi mala propter ipsum. Unde excessus, qui consideratur in priori statu, est solum (ut ita dicam) in causalitate per accidens, removendo, scilicet, magis impedimenta; excessus autem hujus status est in causalitate per se, præbendo, scilicet, materiam, et opera majoris meriti, et media sufficientia ad illa perfecte præstanda. Nec vero deest in hoc statu providentia sufficiens ad cavenda pericula; nam imprimis, licet non tollat omnes remotas et humanas occasiones, fugit tamen morales, et quæ prudenti providentia præveniri possunt, et media etiam providet, quibus ordinariæ etiam occasiones levium culparum, vel distractionum, quæ ex conversatione cum hominibus etiam religiosa frequenter oriuntur, vel superentur, et vin-

cantur, vel certe aliquo majori fructu compensentur.

31. Ultimo assero hanc comparationem solum fieri ex genere, quantum est ex parte finis utriusque status; nam in particulari fieri potest ut religio pure contemplativa superet mixtam, si hæc vel in fine ipso minus participet de contemplatione, quam ad exactam perfectionem necessarium est, vel media non habeat perfecto fini accommodata. Hoc facile intelligi potest, primo, ex vulgari comparatione virtutum, seu actuum humanorum, in qua constat aliquid, ex genere suo perfectius, posse in individuo vel in specie esse minus perfectum propter materiæ vel differentię contrahentis conditionem. Secundo, ex rationibus factis a numero 2, pro priori sententiæ; nam contemplatio per se finis est perfectior quam actio; et hac ratione religio pure contemplativa præfertur puræ activæ; ergo, quamvis actioni miscetur contemplatio, potest mixtio tam imperfecta esse, ut etiam ex parte finis status ille mixtus minus perfectus sit; potest autem id contingere dupliciter, scilicet, vel quia actio ad opera tantum corporalis misericordiæ pertinet, quæ minus perfecta sunt, et magis animum ab interna contemplatione avocant; vel quia de usu et institutione vitæ contemplativæ modicum quid participat, de actione autem multum, unde facile fieri potest ut interior devotio et fervor spiritus impediatur. Tertio, licet finis religionis perfectus sit, potest totus status deficere ab excellentia perfectionis in proportionem mediorum; nam, ut recte dixit D. Thom., 2. 2, quæstione centesima octogesima octava, articulo sexto, et opuscul. 49, contra impugnantes religionem, capite primo, excellentia religionis non consistit tantum in fine, sed etiam in mediis, quod etiam est, per se manifestum, ex generali ratione moralis prudentiæ, quia inordinatum est finem intendere per media non proportionata. Quod si media sint proportionata ad assequendum aliquo modo finem, non tamen ad consequendum perfecte et exacte, tunc, licet finis in se valde perfectus sit, nihilominus in tali statu, et per talia media non intenditur totaliter (ut sic dicam), et ideo non significat illum statum adæquate quantum ipse finis est, seu potest, sed quantum attingitur per talia media, et ideo ex improportionem mediorum potest esse minus perfecta religio, quæ finem habet in se perfectiorem. Quod tamen est verum, comparando potius religionem mixtam ad contemplativam,

quam comparando mixtas inter se, vel contemplativas etiam inter se; et ideo, licet in genere possint hæc comparationes fieri sine periculo et offensione, in particulari cavendæ sunt, tum propter vitandam offensionem; tum etiam quia difficile est singula media uniuscujusque religionis expendere, et cum aliis conferre.

32. *Observatio pro metienda perfectione religionis ex majori proportionem mediorum ad eundem finem.* — Unum tamen possumus hic generatim advertere, scilicet, in mediis duplicem bonitatem posse spectari: unam, quam habent ex propriis objectis, et quatenus sunt actus talium virtutum, temperantiæ, penitentiæ, etc.; aliam, quam habent in ordine ad finem consequendum, quæ solet *utilitas* appellari. Supposita ergo majori perfectione finis, major etiam perfectio mediorum magis spectanda est sub hac posteriori consideratione, quam sub priori, quia perfectio rei consistit in consecutione finis; si ergo finis est perfectior, illa media, quæ juvant ad perfectius illum consequendum, magis ad perfectionem simpliciter juvant, etiamsi ex propriis objectis tantam perfectionem non habeant, nam per illa perfectius attingitur talis finis. Unde si fuerint illi adæquata, et quasi totaliter illum attingentia, erunt perfectissima, quidquid sit de alia bonitate, quam ex objecto habere possunt. Hinc paupertas est aptissimum medium ad perfectionem, etiamsi ex objecto specialem honestatem forte non habeat; et intra latitudinem paupertatis major paupertas potest esse melior ad unum finem, et minor ad alium; quod si finis fuerit perfectior, et minor paupertas ad illum fuerit utilior, illa magis conferet simpliciter ad majorem perfectionem. Idem prorsus est de austeritate vitæ; est enim optimum medium ad perfectionem, tam propter honestatem intrinsecam, quam propter utilitatem ad extrinsecos fines, et interdum potest major austeritas esse utilior ad unum finem, et minor ad alium; si tamen finis sit perfectior, illa austeritas erit simpliciter melior, quæ ad illum finem perfectius consequendum aptior fuerit, etiamsi in se et circa suam materiam minor sit, propter rationem factam. In universum tamen loquendo, si cætera sint paria in fine, et in proportionem ac utilitate mediorum ad finem, illa religio perfectior erit, quæ majorem etiam vitæ austeritatem observaverit, vel quæ habuerit media ad finem æque utilia, et ex objecto meliora,

quia nunc in aliquo superat, et in nullo superatur.

## CAPUT VII.

## UTRUM CONVENIENTER DIVIDATUR RELIGIO IN MONACHORUM ET CLERICORUM.

1. *Partis negantis argumentum.*—Ratio dubitandi est, quia vel illa duo membra distinguuntur in solo habitu, vel in vitæ instituto. Primum non satis est, quia habitus non facit religiosum; secundum non videtur habere locum, quia vel nomen *clerici* generaliter sumitur prout commune est personis ecclesiasticis, etiamsi substantialia vota religionis non habeant, et hoc modo, licet status clericorum possit dici religiosus, lata quadam significatione, non tamen propria, ut nunc loquimur. Vel nomen *clerici* sumitur pro illo, qui simul cum statu religioso clericalem ordinem habet, et sic omnis religio monachorum est religio clericorum, quia in ea sunt plures religiosi clerici; imo illa est præcipua pars enjusemque religionis, et ad illum statum fere omnes religiosi tendunt; ergo non recte distinguitur religio monachorum a religione clericorum.

2. *Assertio affirmativa.*—A quo tempore cœperint monachi communiter fieri clerici.—Nihilominus dicendum est primo, recte distinguatur religiosum statum in clericalem et monachalem; nam imprimis constat ex jure, et Patribus, plerisque religiosos propriissime monachos esse et appellari; hoc constat tum ex etymologia vocis *monachus*, quæ solitudinem, atque adeo statum perfectionis indicat, c. *De presentium*, 16, q. 1, ubi per totam illam quæstionem varia jura et Patrum testimonia afferuntur, ex quibus constat monachorum statum, et vere religiosum esse, et distinctum non solum a communi cœtu fidelium, sed etiam a statu clericorum, adeo ut olim monachi ad clericorum munera et ordinationes regulariter non admitterentur, sed solum ex speciali causa aut necessitate, c. *Si quis*, et c. *Si quem*, c. *Cum pro utilitate*, et c. *Nec pro*, 16, q. 1. Et idem constat ex Siricio Papa, epistol. 1, c. 9 et 13; et ex Hieronymo, epistol. 4 ad Rusticum, et in epistol. ad Joannem Hierosolymitanum, quæ est Epiphani; et ex Palladio, in historia Lausiaca, c. 20, et 59; imo etiam ex Dionysio, c. ultimo, de Ecclesiastica hierarchia. Est etiam de hac re optimus Ambrosii locus, libro tertio, epistola vigesima quinta, ad Vercellen. Ecclesiam,

post med., qui pro comparatione horum membrorum valde notandus est, et infra verba referam, in fine capituli. Qui status duravit fere usque ad tempora Gregorii, qui, lib. 4, epistol. 44, monachos promoveri ad ordines post præfixa a sacris canonibus tempora statuit; et postea in Clementina 1, de Statu monach., § *Ad ampliationem*, specialiter statutum est, ut ad ampliationem divini cultus monachi ad admonitionem Abbatis se faciant ad omnes ordines sacros promoveri. Hoc vero quasi superadditum vel immutatum fuit in statu monachali; unde in Vita Pachomii, c. 25, apud Surium, 14 die Maii, refertur, non fuisse solitum sustinere inter suos aliquem, qui ordinationem fuisset consecutus, ad tollendam ambitionem, et consequenter lites ac dissensiones: *Quomodo enim (inquit) minima ignis scintilla, si in aream inciderit, nisi cito extinguatur, sæpe perdit fructus totius anni, ita etiam principatus ambitio, vel clericatus cogitatio, si inciderit in monachos, nec cito extinguatur, facile corrumpit universum laborem exercitationis.*

3. *Ab Apostolis cœpit clericorum religio.*—Constat deinde fuisse semper in Ecclesia statum aliquem religiosum per se ac ex proprio instituto clericorum, id est, sub tribus consiliis ac votis perfectionis, destinatum ad propria clericorum ministeria, vel in divino cultu, vel etiam in salute animarum procuranda. Hunc enim fuisse Apostolorum statum, ex discursu hujus materiæ constat; ostendimus enim, tomo superiore, illos tria substantialia vota religionis emisisse, non quidem ad monasticam vel eremiticam vitam agendam, sed Apostolicam et clericalem, ad quam profitemdam a Christo vocabantur, quod latius infra explicaturi sumus, tractando de religione Societatis, lib. 1, c. 5. Unde merito dicere possumus primam religionem clericorum ab ipso Christo fuisse et institutam, et congregatam ac probatam. Satisque verisimile est, religionem illam non periisse cum Apostolis, sed continua successione fuisse in eorum successoribus ac discipulis conservatam. Quod significavit Urbanus Papa, in cap. *Scimus*, 12, q. 1, ubi ait, vitam communem inter Christianos usque ad sua tempora viguisse, præsertim inter eos qui in sortem Domini sunt electi, id est, clericos; et idem colligitur ex c. *Duo sunt*, c. *Quia*, c. *Dilectissimis*, cum aliis, eadem causa et quæstione; ubi inter alia Clemens I, epistola 5, sic inquit: *Communis vita omnibus necessaria est, et maxime his, qui Deo irrepre-*

*hensibiliter militare cupiunt, et vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt.* Unde in vita Augustini refert Possidonius, c. 5, factum presbyterum intra Ecclesiam mox instituisse monasterium, et cum Dei servis vivere cœpisse secundum modum, et regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Atque ita multi sentiunt, clericorum, seu Canonicorum regularium ordinem non fuisse primum ab Augustino institutum, sed vel reformatum, vel in Africam deductum, et peculiari regula instructum, ut in sequenti libro, c. 8, iterum attingemus, et latius prosequitur Joannes Trullus, lib. 1 de ordine Canonicorum regularium, c. 2 et 3; et attingit Navarrus, in Commentario 4, de Regular., n. 3 et sequentibus<sup>1</sup>, ubi ex Pio IV probat religionem clericorum ab Apostolis fuisse institutam; quod etiam confirmat Benedictus XII, in præfatione ad Constitutiones Canonicorum regularium. De hac igitur re dubitari non potest, neque etiam est dubium de conservatione hujus status a temporibus Augustini usque nunc, quamvis sub magna varietate, ut postea, citato c. 8 et 9, attingemus.

4. *An usque ad tempora Augustini continue duraverit.*—De tempore vero, et successione continua hujus status religionis a temporibus Apostolorum usque ad Augustinum, non invenio seriem historiæ omnino certam, ut id affirmare possim; quamvis ex decretis Pontificiis, quæ retuli, verisimillimum sit, nunquam hoc vitæ genus in Ecclesia et ejus clero defuisse. Ut enim bene notavit Soto, lib. 10 de Justitia, q. 4, art. 3, quamvis in initio Ecclesiæ omnes clerici profiterentur vitam communem et religiosam, postea, crescente clericorum numero, non omnes illum statum amabant, ad quem non ex necessitate tenebantur, sed consilio invitari debebant, ut tandem sensit Augustinus, sermon. 2 de Communi vita clericorum, et habetur in c. *Certe*, 12, q. 1. Semper tamen observatum videtur, non solum usque ad Augustinum, sed etiam usque ad Gregorium, ut a singulis Episcopis collegia aliqua clericorum instituerentur, qui communem et religiosam vitam observarent, ut patet ex responsionibus ad Augustinum, c. 1 et 2.

5. *Prima convenientia inter monachalem et clericalem religionem.*—*Secunda convenientia.*—Ex his ergo satis constat esse ac fuisse semper in Ecclesia dictos duos ordines religiosorum,

<sup>1</sup> Vide Augustinum Ticinensem, Propugnaculo Canonici ordinis, p. 4, c. 4.

clericalem, scilicet et monachalem. Necessarium autem est ut propriam inter eos differentiam explicemus, ad quod necesse est ea, quibus conveniunt, supponere. Sunt enim imprimis ea omnia, quæ ad substantiam religiosi status pertinent, alioqui veri religiosi non essent, quod est manifeste falsum, ut constat non solum ex eorum institutis, sed etiam ex communi jure, ut patet ex c. *Quod Dei timorem*, de Statu monachorum; ubi Innocentius III inquit, regulares Canonicos a monachorum sanctorum consortio non reputari sejunctos; quod eandem rationem et veritatem habet in omnibus clericis regularibus; et idem habet Nicolaus Papa, c. *Præsens*, 20, q. 3, et res ipsa seu convenientia in votis constat ex cap. *Cum in Ecclesiis*, de Majoritate et obedientia, et ex c. *Super*, et c. *Cum ad monasterium*, de Statu monachorum. Conveniunt deinde in multis accidentalibus conditionibus religionis, ut, verbi gratia, in vita communi, et in ordinaria institutione et observantia vitæ religiosæ, juxta modum unicuique statui accommodatum; et sic dixit D. Thomas, opuscul. 19, cap. 2, Canonicos regulares et monachos ad paria censerentur in his, quæ sunt communia omni religioni, ut sunt vivere sine proprio, abstinere a negotiationibus et officiis secularibus. Præterea, si in communi loquamur, possunt tam monachi, quam clerici religiosi, convenire in aliquo fine et scopo talis status; nam utriusque possunt intendere vitam pure contemplativam, ut notavit D. Thom. 2. 2, quæstione centesima octogesima nona, art. 7, ad secundum, et consequenter possunt etiam in multis mediis convenire, ut in exercitio orationis ac psalmodiæ; et hoc modo sunt nunc in Ecclesia religiones contemplativæ, non tantum monachorum, sed etiam clericorum.

6. *Prima differentia inter easdem religiones ex finibus.*—Prima ergo differentia inter hos duos status esse videtur, quod religio clericorum per se ordinatur ad ea, quæ aguntur in divinis ministeriis, non autem religio monachorum, quam insinuavit D. Thom. in dicta solutione, ad 2; et rationem reddit, quia prior est per se religio clericorum, ad quos spectant ea, quæ pertinent ad divina ministeria; ad religionem autem monachorum per se non competit, ut sint clerici, ut habetur in decretis, 16, q. 1. Quæ differentia assignatur a D. Thoma inter has religiones, etiam ut profiterentur vitam pure contemplativam: extendi tamen potest ad easdem, si participant vitam activam; nam religio per se ordinari potest ad